

Secundi modi est, quæ quidem genus habet, sed differentiam imperfectam:

Ut, homo est animal mortale politicum; vel, est animal mortale, capax disciplinæ. Si velis cognoscere, num definitio hoc utroque modo sit imperfecta, repete illa quæ suprâ diximus de perfectâ definitione, cum in genere, tum in specie. e. g. modò allata hominis definitio examinetur ad regulas speciales de modo definiendi substantiam; quòd si deprehendatur ad illas non congruere, censebitur imperfecta. Non autem congruit; quia *to* mortale est additum. Alioqui si dicatur simpliciter, animal politicum, vel capax disciplinæ, quod alii vocant, disciplinabile, erit definitio perfecta à proprio. Nam proprium in definitione perfectâ ponitur tanquam essenziale à posteriori. Essentiale à priori est principium rei constitutum; à posteriori, quod essentiam rei constitutam immediatè sequitur.

Imperfecta tertii modi est, cum abstracta definiuntur per concreta & vicissim.

Ut, ens est, quod essentiam habet; essentia est forma seu actus entis, quatenus est ens; seu, essentia est, à quâ aliquid denominatur ens; homo est animal, quod habet humanitatē; humanitas est forma, à qua aliquis denominatur homo &c. Hæ definitiones in Metaphysicis, Physicis, quoad qualitates, & Ethicis quoad virtutes & vitia, locum habent. Dicuntur imperfectæ, quia licet abstractum sit forma concreti, tamen à nobis nō satis exprimitur, quid sit abstractum, utputa humanitas &c. Dicuntur autem imperfectæ arbitrariæ; quia etiam accuratiores haberi possunt, quàm illæ sunt: ut, justitia est actus justus quatenus justus, imperfecta est definitio; hæc perfecta, justitia est virtus, quæ suum cuique tribuit.

---

*Cap. 9. Definitio imperfecta ex parte conceptus.*

**D**efinitio imperfecta necessaria est, quæ est ob rei definiendæ naturam talis: *videlicet vel ob ejus summam perfectionem, vel ob imperfectionē.*